

ut praeterita respectum habet, magis ad animae sensitivam partem attinet.

V. **Varia.** — *Rememoratio* prout est directiva affectionis, potest esse virtuosa et vitiosa (S. Bonav.). — Memoriae officium est retinere species, deinde recordari: 1^m est per modum habitus; 2^m per modum actus; in 1^o non est meritum vel demeritum; in 2^o sic (id.). — Memoria iniquorum vituperabilis, justorum vero honorabilis (id.). Memoria exercenda circa Dei beneficia, peccata commissa et bona exercenda (id.). Memoriam vocat S. Aug. thesaurum imaginum innumerabilium. Reminiscencia valde juvatur per ASSOCIATIONEM IDEARUM, quae consistit in connexionione naturaliter existente vel artificialiter instituta inter cogitationes nostras, per quam unius notitia alterum revocat. Memoria est repositorium praeteritorum (S. Bonav.). Memoria excolendo augetur.

150. — **Monitum generale circa purgationem sensuum internorum.** Ex multiplici circa memoriam hucusque tradita notitia, facilius lector sufficienter intelliget diversos ejusdem respectus, et modum ejus, et sensum loquendi *vulgarem* et AA. qui de memoria non ex professo tractant, sed illam quasi generice usurpant. Imo in multis opusculis in quibus agitur de interna mortificatione saepissime, relictis diversis sentiendi et cognoscendi gradibus et rigore philosophico, solummodo agitur modo generali et confuso, de mortificandis, 1^o memoria; 2^o intellectu; 3^o voluntate. Quod quidem serio notandum etiam in textibus Patrum citatis praesertim in hoc capite. Sed

ad perfectiorem scientiae ascetico-mysticae notionem, expedit *principaliora saltem philosophica principia in mentem revocare*, et singulis animae facultatibus, particulariores assignare regulas ad perfectionem spiritualem tutandam, servandam et adaugendam. Et quamvis non raro eadem monita et regulae moderationis et purgationis pro una facultate traditae, aliae etiam quodammodo inservire possint, convenientissimum tamen est, ut singulae speciales, aut saltem sibi propriiores regulas habeant.

151. — **Memoriae moderatio.** — (NOTA: hic praesertim agitur de memoria sensitiva et reminiscencia. Ubi de intellectu purgando habentur etiam quae memoriam intellectivam respiciunt, quia bene purgato intellectu, bene etiam purgatur memoria intellectiva quae, ut dictum est, ab eo specie non distinguitur.) *Memoria purgari debet a pravis et periculosis et perfectionis impeditivis notitiis:* Hinc PURGETUR 1^o *a malis apprehensionibus* et notitiis naturalibus moraliter malis; ut sic homo deponat malitiam, dolum, simulationem, invidiam, detractio- nem: imo eorum notitias debet delere, ut numquam eorum recordetur, nisi ad anteactae vitae peccata deploranda; 2^o *a notitiis inutilibus et indifferentibus*; 3^o *a naturali notitia parentum* (quatenus erga illos habeatur inordinatus affectus), *deliciarum, voluptatum*, mundanorum bonorum, dignitatum, divitiarum et saecularium negotiorum (salvo pietatis, obedientiae et necessitatis imperio). Ex hac purgatione, anima plurimam capit utilitatem, nam multam

tranquillitatem et pacem adipiscit, puritatem conscientiae conservat, daemonum suggestiones et internos motus reprimat et pericula multa evitat; denique memoria rebus creatis et inutilibus vacua, disponitur ut doceatur et repleatur a Spiritu Sancto divinis notitiis et sanctis cogitationibus.

Monita. — I. Incipientes, saepissime, quamvis acceptam injuriam dimittant, non tamen perfecte dimittunt, et quasi delectantur, veluti de quadam vindicta, ex *recordatione acriori personae* quae illos offendit vel a qua se putant offensos.... (nam multa reputamus offensiones quae talia non sunt in inferentis animo). Videas ergo an cor tuum sit adhuc longe a vera fraterna charitate.... cogita utrum veluti muliercula invidiosa aut nervosa ubique tibi fabrices motiva impatientiae aut diminutionis benevolentiae erga confratres.... cave ne vulnus perduret.... « Nihil profecto, nihil Deus ita aversatur ac odit, sicut hominem injuriae memorem » (S. Chrysost. *hom.* 24, *in Matth.*). — II. Si vis memoriam tuam sancte ditare, Deum ex corde dilige, et coelestia suspira: etenim « ea quae magna aestimamus, magis memoriae infigimus » (S. Th. 1, 2, q. 47, a. 2). — III. « Memoria bonorum in tempore tribulationis, animum per spem erigit: memoria malorum in tempore prosperitatis ad custodiam sui cautiorem reddit » (Hug. a S. Vict. *sup. ps.* 37, c. 46). Noli tamen recordari peccatorum jam confessorum modo specifico nimis et circumstantiato, sed *generalius* deplora anteacta errata, et memento quod peccasti: sic com-

punctio servatur et pericula vitantur. — IV. « Laudabilis memoria beneficiorum, et maxime memoria creationis, redemptionis et justificationis » (S. Antonin.). — V. *Multis etiam devotis gravissima fit memoria mortis, et quasi totaliter ab illa abstinere conantur: et sic, si peccatores sunt, in pejora facilius cadunt; si justi, magno privantur contra peccata tutamento, et quotidie cogitationis mortis ingravescente horrore, debilitantur in spe et filiali erga Deum fiducia, mundo adhaerent valde: difficulter enim ad coelestem patriam ferventer aspirat, qui repugnantiam et horribilem repulsionem contra mortis vel ipsam cogitationem non minuere satagit per sanctas considerationes et consolatorias rationes. Si vis mortem minus timere, et peccata mortalia evita, et Dei misericordiae te committe, et ipsam mortem veluti facie ad faciem frequenter aspice et B. Mariae patrocinium implora. Non negandum quod quibusdam nimis timoratis non semper expedit mortem meditare, sed nullus debet nimium timorem pejorem et vere noxium reddere per quasi-totalem ideae mortis voluntariam oblivionem.* — VI. Memento saepe saepius tristissimae peccatorum conditionis, ut pro illis ores et tu humilieris; multarum pauperum necessitatum, ut illis succurras pro posse; virtutum sanctorum, ut ad imitationem moveatur cor tuum; propriae miseriae, ut humilitatem conserves; brevitatis vitae, ut indefesse ad labores ad thesaurizandos tibi coelestes thesauros. — VII. Sollicite custodire debes in thesauro memoriae tuae quidquid tibi adjumento esse

possit ad perfectionem et spiritalem profectum animae tuae. — VIII. Si praeditus es perfectiori memoria, cave a superbia, cave ab irreflexione, sed talentum tuum perface et custodi pro Deo et propter Deum. — IX. Tandem, frequenter in memoriam revoca proprias obligationes, anteaetae fervoris et melioris vitae proposita, purgatorii poenas, ut pro defunctis exores; Ecclesiae necessitates et Romani Pontificis tribulationes ut ad Deum clamare non cesses.

ART. III. — De Intellectus et Voluntatis purgatione.

152. — Intellectus etymologice idem sonat ac *intus legere*, estque quaedam *vis et potentia animae, per quam intelligit apprehenditque res immateriales et intelligibiles* (S. Bonav.); vel, *virtus quae potest in rebus percipere respectus universales et immateriales*. — Unde *differt a cognitione sensitiva* quae respicit tantum proprietates concretas et materiales, et superficiem rerum tantum, dum intellectus abstracta et intimam rerum naturam scrutatur, ac proinde intellectus est potentia incomparabiliter nobilior cognitione sensitiva. — *Objectum intellectus est omne quod est aut esse potest*, ac proinde ad nullum restringitur objectum, sed ad omnia entia extenditur, et indefinite potest multiplicare suas intellectiones. Ergo recte dicitur quod intellectus objectum est omne ens sub ratione veri (S. Bonav.). Ergo intellectus, ut possibilis potest intelligere omnia,

ut agens nequaquam (id.). Attamen *ens debet proponi intellectui modo proportionato*, nam intellectus noster non semper conjungitur ad ens modo requisito ut fiat intellectio.

153. — Intellectus moderatio. — Ex dictis patet quam necessaria nobis sit mortificatio intellectus. Unde 1° *moderetur in inquisitione veritatis*; 2° *in proprio judicio circa res agendas*: 1^m cavendo a negligentia circa res sciendas et a curiositate; 2^m cavendo ne se intromittat in aliorum factis et leviter judicet, ne Superiorum directionem temerario condemnet, ne aliis quis se praeferat.

Hinc. — I. Quisque scire studeat quae proprio statui conveniunt et quamvis in variis hujusmodi exercitiis saepe experiamur difficultates et taedium, forti animo perseverandum, ut et Deo placere possimus, et aptiores reddamur ad voluntatem Dei adimplendam in officio et conditione in qua collocati fuimus. Unde caveat devotus a multorum errore, qui proprio gustui nimis adhaerentes, solummodo addiscunt quae ipsis placent, neglectis cognitionibus vere utilibus et necessariis propriis officiis. Caveant ab hoc defectu praesertim devoti seminaristae, nec credant internae cuidam dulcedini quae saepe quasi illos impellit ad aliena studia, seu hic et nunc haud ordinata sectanda. Clerici autem post completum studiorum cursum, non debent praenotiones negligere et aliis studiis profundioribus ita implicari, ut obliviscantur principiorum moralium rectae et prudenti curae animarum quotidie necessariorum. Hinc valde

reprobandi clerici, praesertim confessarii qui raro Theologiae Moralis studio vacant, sacerdotes qui notiones liturgicas et rubricas nunquam fere perlegunt, qui S. Scripturam penitus negligunt.

II. CURIOSITAS VITANDA. 1° *Curiositas est studium circa inutilia, aut utilia magis quam liceat, debeat vel expediat*, ait Gerson. — 2° Juxta Carthusianum, *curiositas nascitur ex otiositate* (quodammodo tali), ac proinde reprimenda per laborem proprio statui convenientem. — 3° *Omnes debent contra curiositatem pugnare*, nam « curiositas est vitium pene omnes involvens, et parum cognitum sed multum nocivum » (S. Antonin.). — 4° Ergo *reprimenda quaerendo in cognitionibus utilitatem et non meram delectationem*. Etenim « omnis illa quae appellatur curiositas, quid aliud quaerit quam de rerum cognitione laetitiam? » (id.): unde « ne sis curiosus, neque omnia videre et scire velis, ut ne saniem vitiorum menti tuae attrahas » (S. Basil. Magn.); quia « parit curiositas experientiam mali, ut facile qui per multa vagatur offendat, facile cedat in laqueum, facile inveniatur quod perniciose delectet » (S. Bern. *serm. de 7 don. Sp. S.*). — 5° Et justo Dei judicio, *parum in scientiis proficiunt qui curiositati favent*: « curiositas reum facit, non peritum » (S. Zeno, *de Filii Dei generat.*). E contra « nolle omnia curiose inquirere, et non capere omnia scire, magnum praeclarae scientiae argumentum est » (S. Chrysost. *hom. 8, sup. 2 ad Tim.*). — 6° « Qui aliena nimium anxia curiositate scrutaris, si ea inquirere de-

sideres, clarorum opera virorum curiosius investiga ut ex aemulatione alienae virtutis, aeterna fruaris beatitudine » (id. *hom. 65, sup. Matth.*). — 7° *Curiositate cessante, facillime cessabit pruritus suspicionis* et similium defectuum contra fraternam charitatem: « mala et pestilens curiositas est, quae secretum alienum improbe scrutari contendit, saepe quamvis nihil inveniatur quod juste reprehendere possit, perversa tamen suspicari non desinit » (Hug. Vict. l. 3, *de Arch. Noe, Mor. c. 10*). — 8° Ergo, quia « curiosus non curanda curat, necessaria negligit, et sui oblitus aliena considerat, notat et explorat » (S. Bonav. *spec. disc. p. 2, c. 5*); tu vero attende tibi, tuis officiis, tuae spirituali utilitati, verae tuorum laborum fructificationi.

III. *Cave ne ob scientiae perscrutationem etiam necessariam et utilem, negotia animae tuae negligas*, et de perfectione et salute minus sollicitus inveniaris. Nam « daemones quoties nostri curam non habemus, ipsi, observata opportunitate, ex improvise in nos magna cum vehementia irruunt » (S. Maxim. *Mart. de Charitate cent. 2, c. 33*).

IV. CAVE AB OPINIONUM TENACITATE: nam 1° « incidere in falsae opinionis errorem, priusquam vera cognoscas, imperiti animi est et simplicis: perseverare vero in eo postquam agnoveris, contumaciae » (Silvanus). — 2° « Si deprehensae falsitati penitus non renuntietur, et cognitae non adhaereatur veritati, obstinatio diabolica est » (S. Bern.). Et « nequissima plane et perniciosissima pestis est obstinatio,

quoniam universos turbat, et fit omnibus discordiae fomes, et materia scandalorum » (id.). Quod quidem vitium paulatim et fortiter inficit devotos qui proprio iudicio nimis adhaerent, et in ipsis et consociis tempestates multas producit. — 3° Ergo omnes eo magis debemus ab opinionum tenacitate fugere, quo numerosiores sunt qui sanum seu rectum iudicium millibus opinionibus offuscant. Etenim « maxima multitudo est hominum, qui in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari, aut nunquam, aut aegerrime queant » (S. Aug. *de quant. anim.* c. 7): ergo humilitas, reverentia erga Ecclesiae Pastores, Superiores et animae moderatores praeservabit nos a tanta intellectus infirmitate. Ergo tanquam parvuli curramus ad fontes verae doctrinae; majorum et sapientiorum iudicio pareamus, modo non contradicat sensu Ecclesiae; imo salvo veritatis jure, non contendamus obstinate in conversationibus ordinariis, ne adaucta contententium tenacitate, varia enascantur incommoda. Scito ergo silentium servare ubi, quando et quantum expedit.

V. CAVE ETIAM A JUDICIS TEMERARIIS *et opinionibus infundatis contra proximum*. Nam 1° « Ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite ipsum contemnit, eique injuriatur » (S. Th. 2, 2, q. 60, a. 3). — 2° Saepe nostra malitia et imperfectio nos fallit, ita ut si aliis nos haud praeferimus, saltem illos similes nobis in defectibus judicemus: « Fornicarius neminem aestimat castum, et castus non facile de

fornicario suspicatur » (S. Chrysost. *hom.* 39, *sup. Matth.*). — 3° Judica et plora peccata tua, et noli alios leviter judicare. Hinc valde deploranda facilitas qua etiam personae pietatis studiosae hoc pessimum vitium admittunt sub variis praetextibus, ab eorum occulta animositate, aliisque non purgatis defectibus, et maxime ex diabolica fraude exortis. — 4° *Videas ergo*: an ex sola externa facie alium criminis iudices? an actiones de se indifferentes perverso fine factas pronuncies? an de actione alterius apparenter bona et virtuosa iudicium sinistrum feras? an alienam actionem, minus quam censi oporteret bonam ac laudabilem iudices? an ex uno actu vitioso proximum talem habitualiter esse iudices, et ex uno pravo religioso totum coenobium, etc.? — Dilige ergo, *corde, verbo, ore et opere* proximum tuum, et evelles multas causas iudicii temerarii. — 5° Memento denique quod Deus maximis benedictionibus perficit eos qui nolunt judicare: e contra justo iudicio permittit Deus, ut male iudicans in eosdem quos male iudicat veros vel existimatos defectus incidat. — 6° CONCLUDENDUM: « Judicet ille de alterius errore, qui non habet in seipso quod condemnet, iudicet ille qui non agit eadem quae in alio putaverit esse punienda, ne cum de alio iudicat, in seipsum sententiam ferat; iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla levitate ducitur » (S. Ambros. *sup. illud: Beati immaculati*). Et « stulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto sua profundius ignorant » (S. Greg. Magn.). « *Nolite ante tempus iudicare,*